



Disputatio juridica inauguralis de acquirendo dominio ex jure gentium

<https://hdl.handle.net/1874/340715>

40

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
 I N A U G U R A L I S,
 D E
**ACQUIREND O DOMINIO EX
 JURE GENTIUM,**

O V A M ,
 F A V E N T E D E O T E R O P T . M A X .

E x auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D. ejusdemque Facultatis in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ

Professoris Ordinarii ,
 N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicî consensu , Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decreto ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
 rite , ac legitimè consequendis ,

Eruditorum Examini subjicit

G E R A R D U S T E R B O R C H , Z W O L L A N U S .

Ad diem 9. Februarii horis locoque soliti.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA , Academiæ
 Typographi , clc Icc LXXXVIII.

Prænibili ac Generoso

D.D. ISAACO de HOCHEPIEDE,
Quondam per affinitatem Patrueli, Tutori suo fide-
lissimo, diligentissimo.

Viro Illustri Nobilissimo Amplissimo

D. D. FRANCISCO à BREDEHOFF,
Toparchę in Oosthuysen, Etershem, Hobreed,
Pylswaert, &c.

Urbis Hornanæ Prætori supremo, Viro Consulari &
Senatori, ejusdemque Civitatis nomine in Confessu
Illustrium & Præpot. Hollandiæ & Westfrisię Or-
dinum Assessori gravissimo, Societati Indię Orien-
talis Membro adscripto; nunc vero ad Illusterrimum
Ordinum Generalium Fœderati Belgii Concilium
elected.

*Hasce studii sui lucubrationes
inaugurales.*

D. D. D.

GER. TER BORCH,

Auctor.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
Acquirendo Dominio ex
Jure Gentium.

THESSIS I.



uod conservatio Vitę & mem-
brorum sit ex hoc Jure Gent.
cujus immutabile dictamen
est ex Recta Ratione, &
quidem fundamentalis po-
sitio, nitens amore erga se-
ipsum, ex quo omnes le-
ges Naturae seu morales originem trahunt,

A 2

vix

4 DISPUTATIO JURIDICA

vix ignotum esse potest , quoniam hujus vestigia ex instinctu naturæ cernimus in brutis.

His ita præmissis media ad conservationem esse permitta & necessaria aff. *Grotius alibi tract. de imper. Magistr. circa sacra. Hobbes de Cive in dedicatione & Cap. 1. §. 8. l. 13. ff. ad l. Aq.* ubi dicitur neminem esse Dominum Vitæ vel membrorum suorum. Jurisprudentiæ objectum est , alterum non ledere , nisi in legitima defensione , quod perinde est ac si diceretur , nulli licet disponere de vita sua vel aliena , sed e contrario illæsum se & proximum conservare tenetur , quocunque potest modo , si media modo non sunt direcťe pugnantia contra præceptum Divinum , non est faciendum malum ut inde bonum sequatur , uti non res pugnat Dei præcepto defensio sui & proximorum , nam propter malorum pravitatem recurrendum etiam bonis est ad virtutes bellicas vim & belli dolum *Hobbes de Cive in dedicat.* si pacem conquirere nequeunt , & se tueri volunt , ut debent.

Ad

INAUGURALIS.

50

Ad conquirendam & servandam pacem necessaria sunt fides, gratitudo, peccati remissio, rei communis divisio, qua dominium debet esse distinctum, nam communio dicitur s̄epissimè, ut est mater discordiarum. Hæc ad originem & necessitatem distincti dominii sufficiunt, transibimus ad definitionem Dominii. Dominium est jus quo res est nostra, hoc est, Dominium est facultas ex Jure Gent. qua rei acquisitæ pro libitu habemus dispositionem l. 28.

C. Mandati.

I I.

Dominia acquiruntur Jure Gent. vel Jure civili §. 11. Inst. de rer. div. l. 1. ff. b. t. Jure Gent. acquiruntur Occupatione, Accessione vel Traditione, de quibus singulis pauca dicemus, ne disputatio ultra scopum excrescat, & tamen ut satis sit intellectui.

Occupatio est modus acquirendi dominii, quo res nullius cedit occupanti: colligi potest hæc definitio ex l. 3. ff. b. t. & §. 12. Inst.

A 3

de

6 DISPUTATIO JURIDICA

de rer. div. Omnes res, antequam quis per occupationem factus est dominus, ex Jure Gentium nullius sunt, nam Natura sine distinctione dedit omnia omnibus, harumque rerum quædam indivisibles fuerunt, quæ per excellentiam vocantur communes, uti mare, & per hoc littora maris, aër, aqua profluens
§. 1. *Inst. de rer. div.* ceteræ res omnes alicujus factæ sunt, vel ex Jure Gentium primo adhuc cedunt occupanti, quamvis Jus Civile aliquando ex justa causa occupationem prohibeat.

Post divisionem quoque Jure Gentium quis occupando acquirit dominium in rebus a domino pro derelicto habitis §. 46. *Inst. rer. div.* in rebus hostilibus l. 5. §. 7. b. t. §. 17. *Inst. rer. div.* in thesauris §. 39. *Inst. b. t.* qui in totum pertinent ad Inventorem, sed Jure Civili hoc mutatum est. d. §. 39.

I I I Quæritur hac occasione an feræ bestiæ, volucres.

lucres & pisces ita vulnerata ut capi possint statim nostra sint; Quod neg. l. 1. §. 1. l. 5. ff. b. t. In §. 12. *Inst. hoc tit.* dicit Imperator simulac ab aliquo capta fuerint, statim naturali ratione illius esse incipiunt: sic quoque in §. 13. *Inst. eod. tit.* esse occupantis, non vero vulnerantis. De loco ex Jure Gentium perinde est an quis occupet feram in fundo suo an in alieno l. 3. §. 1. b. t. §. 12. *Inst. rer. dir.*

I V.

Secundus modus acquirendi dominii est *Accessio* quo accessorium sequitur suum principale, & dividitur in naturalem vel industriali. Naturalis est foetura ancillarum vel animalium, alluvio, coalitio, insula in flumine nata & alveus. Industrialis est Intextura, Inedificatio, implantatio, satio, scriptura & pictura. Sic quoque ad hanc accessionem comode referri potest specificatio: si materia sit intra formam, forme cedit, & sic vice versa §. 25. *Inst. b. t.* Confusio, Commixtio, & fructuum

8 DISPUTATIO JURIDICA

ctuum perceptio , si percipiuntur ex re no-
stra vel bona fide possessa , si vero percipian-
tur ex re nullius tunc pertinet ad occupatio-
nem.

V.

Hinc resultat quæstio quales fructus B. F.
possessor lucratur ex Jure Gentium, ubi æqui-
tas agnoscitur pro summa lege? Resp. hac cum
distinctione , vel possidet titulo oneroso vel
lucrativo, si lucrativo tit. possidet, tantum lucratur
industriales , si vero oneroso tit. possidet,
lucratur omnes fructus consumptos perceptos,
etiam civiles.

V I.

Tertius adhuc restat modus acquirendi do-
minii ex Jure Gentium, nempe Traditio, quæ
in genere est translatio possessionis nudæ vel cum
dominio. In specie est Translatio cum do-
minio, quod in re corporali consistit *I. 43. §. 1.
b. t. & §. 4. Inst. rer. div.*

Per

Per nudam traditionem dominium non transfertur *l. 31. ff. b. t.* nisi justus titulus vel justa causa præcedat propter quam traditio sequitur, uti est permutatio, donatio &c. *l. 1. ff. de Publ. in rem Act. §. 40. Inst. rer. div.* Præter traditionem & justam causam requiritur contrahentium liber consensus, sine quo omnes contractus infirmes sunt, vel rescindi possunt per remedia Prætoria, quæ habentur in *lib. 4. ff.* Ex Jure Gentium & Civili coacta voluntas dicitur etiam voluntas *l. 21. §. 5. ff. quod met. caus.* quia coactus ex duobus malis minimum eligit; & hactenus voluntas non cogitur. Multæ sunt traditionum divisiones in *§. 42. in §. 44. in §. 45. Inst. de rer. divis.*

V I I.

Restant dominii quædam divisiones satis notæ: dominium est rerum corporalium vel incorporalium, veluti describitur in *pr. Inst. de reb. corp. & incorp.* Res corporales sunt quæ sua natura tangi possunt, incorporales quæ sua natura tangi non possunt. Do-

Dominium est plenum vel minus plenum : dominium plenum est quod definitivus in *thesi* i. Minus plenum est quod habet Vasallus , Emphiteuta &c. qui agnoscent dominum superiorem propter initum pactum vel Contractum , nam pactum ex Jure Gentium eque validum est quam Contractus.

VIII.

Expositis dominii acquirendi modis , ordo nos dicit ad dominii acquisiti effecta , que præcipue consistunt in dispositione indefinita , qua dominus potest vendere , permutare , pignori dare , mutuo dare , donare , consumere , & quolibet modo per ultimam voluntatem disponere , sed rem amissam ab invito possessore recuperare non potest , nisi armata manu . Hinc vers.

Datæ leges , ne fortior omnia possit.
Et illud Baudii.

*Quid foret mundus , spatioſa præter
Luftra latronum , niſi mos pudorque
Vim refrænaret ?*

CO-



COROLLARIA.

I.

Filius fam. non potest testari imo ne quidem de plenis adventitiis.

II.

Testator sciens rem alienam legare potest.

III.

Nuptias facit solus consensus

IV.

Filio impuberi ex haredato pater recte substituit.

V. Insti-

V.

Institutio sub impossibili conditione valet.

V I.

Adolescentes inviti curatores non accipiunt
§. 2. Inst. de Curatoribus.

F I N I S.

